

De relatione & relatis.

155

semper est absolutum quid, sed interdum est alia relatio, e. g. cum Rex Regi dicitur similis propter relationem ad subditos, seu quia uterque ad subditos refertur; similitudo ista est relatio, fundamentum autem ejus est alia relatio, nempe quâ referuntur reges isti ad subditos suos, propter hanc enim ad subditos relationem sibi invicem sunt similes, & ad se invicem relationem habent.

25. Tertium requisitum, sine quo relatio consistere non potest, dicitur ratio fundandi.

26. Est autem ratio fundandi conditio media inter fundamentum & terminum relationis, quâ positâ ponitur in subjecto relatio ipsa, e. g. ratio fundandi Paternitatis est *actus generandi*, hoc enim inter fundamentum seu potentiam generandi, & terminum, nempe personam genitam, est media conditio, quâ positâ in homine tanquam subjecto ponitur *paternitas*.

27. Nota I. Studio dicitur, *positâ ratione fundandi poni relationem in subjecto*: quorum verborum sensus est, quod, si
præ-

*transitu
congrua*